

Johann Gottlieb Möller    Andreas Hoffmann


**De Seculi VI. Scriptoribus Ictis, Medicis, ac Philologis; Et Seculi VII. ac IIX. Scriptoribus Ecclesiasticis, Philosophis, Ictis, Medicis, & Philologis; Ex Chronologico Illustris Viri, Hermanni Conringii, de Universae Eruditionis a N. C. Propagatione, Eiusdemq[ue] Scriptoribus, Commentario, Nunc Primum e Msc. A Se Editio, in Disputatione Philologico-Philosophica, d. XXVII. Februarii A. C. M DC. XCIX. In Maximo Athenaei Gedanensis Auditorio, Jesu Gratia Moderante, Solenniter instituenda, placide disquiret,**

Gedani: Stollius, 1698

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796463522>

Druck    Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn796463522/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn796463522/phys_0001)

**DFG**

*B6-1053<sup>1-31</sup>*

Ex  
Bibliotheca  
Academice  
Rostochiensis

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.

27.

28.

29.

30.



10.  
DE  
SECULI VI.  
SCRIPTORIBUS ICTIS, MEDICIS,  
ac PHILOLOGIS;

Et  
SECULI VII. ac IIX.  
SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS,  
PHILOSOPHIS, ICTIS, MEDICIS,  
& PHILOLOGIS;  
EX CHRONOLOGICO

ILLUSTRIS VIRI,  
HERMANNI CONRINGII,

*de UNIVERSÆ ERUDITIONIS à N. C. PROPAGATIONE,  
EJUSDEM Q; SCRIPTORIBUS, COMMENTARIO,  
NUNC PRIMUM à MSC. A SE EDITO,*

in  
DISPUTATIONE PHILOLOGICO-PHILOSOPHICA,

d. XXVII. Februarii A. C. M DC. XCIX.

IN MAXIMO ATHENÆI GEDANENSIS AUDITORIO,

JESU GRATIA MODERANTE,

Solenniter instituendâ, placidè disquiret,

PRÆSES

JOH. Gottlieb MOLLERUS,

D. PP. D. & Bibliothecarius.

Respondente

ANDREA Hoffmann/ Berolinenfi.

---

GEDANI,

Typis JOHANNIS-ZACHARIÆ STOLLII.

16.  
17.  
18.  
20.  
21.  
22.  
23.  
24.  
25.

V I R O  
PERMAGNIFICO, GENEROSISSIMO, MAXIMEQUE STRENUO,  
D O M I N O,  
DN. JOHANNI ERNESTO  
SGHMIEDEN,

REGIÆ CIVITATIS GEDANENSIS PRÆCON-  
SULI, & h. t. PRÆSIDI,

CHERSONESIQ; HELENSIS ADMINISTRATORI,  
INNUMERIS IN REM PUBLICAM, ECCLESIASTICAM,  
ET LITERARIAM MERITIS,  
DUDUM ILLUSTR,

*PATRONO ET MÆCENATIOPTIMO MAXIMO:*

**H**ISTORIÆ, CUIUS MAGNUS CONRINGIUS AUCTOR,  
EN TIBI FERT PARTEM NOSTRA, PATRONE, MANUS.  
RESPICE, NEC TENUEM QUAMVIS CONTEMNE CLIENTEM;  
OPTAT QUI RADII POSSE NITERE TUIS.  
HISTORIAM CERTE NON ASPERNABERE, CUIUS  
TE PRIDEM A TENERIS NOBILIS URIT AMOR.  
HISTORIAM NON TU CONTEMNES; CUIUS ET IPSE  
MAGNIS PARS MERITIS NON MEDIOCRIS ERIS.

Id quod sibi promittit, qui prævio absolutissi-  
mæ prosperitatis voto, submissa dedi-  
catione pagellarum qualiumcunque pri-  
mas observantiæ lineas ducere debuit,

*NOMINIS TANTI*

Cliens devotissimus,

Andreas Hoffmann, Berolinensis.

CAPUT III.

De

JCTIS.

I. Sexti hujus seculi Anno XXIIIX. *JUSTINIANUS* Imperator, ex omnibus Constitutionibus Imperatoriis, tribus in CODICIBUS, GREGORIANO, HERMOGENIANO, & THEODOSIANO, ac recentioribus, NOVELLIS comprehensis, unum CODICEM, per JCTos, quorum Princeps erat TRIBONIANUS, fecit conscribi, quem sequente anno, qui imperii ipsius tertius erat, promulgavit.

II. Trigesimo Seculi hujus anno, TRIBONIANO eidem, quosque ille sibi collegas voluit adsciscere, commissum est, Jus Vetus Romanorum, ex Libris Jctorum primariorum excerpere; qui Labor tertio post anno finitus, servato ordine EDICTI PERPETUI, *PANDECTARUM* Volumen nobis peperit, ut apparet ex *C. de Vet. Jur. Enucl.*

III. Eodem tempore & *INSTITUTIONUM* Libri promulgati sunt, quos idem TRIBONIANUS cum Collegis, ex *CAII* potissimum commentariis ac Libris variis confecerat, ut Auctor est THEOPHILUS, Institutionum doctissimus Paraphrastes.

IV.

16.  
17.  
18.  
20.  
21.  
22.  
23.  
24.  
25.

IV. Anno Seculi ejusdem XXXIV. prior ille CODEX abrogatus iterum est, inque ejus locum substitutus NOVUS, REPETITÆ, uti loquitur ipse Imperator, PRÆLECTIONIS, adeoque ille, qui hodiè exstat.

V. Cæterùm, cùm & à Codice immutato totos adhuc XXX. annos superesset Imperator JUSTINIANUS, non desit varias pro re natâ constitutiones græco sermone condere, quæ, quòd Codice sint recentiores, NOVELLÆ, AUTHENTICÆ verò, in discrimen *Epitomes* earum, à JULIANO Patricio confectæ, appellantur. Quo nomine semper malè audiit TRIBONIANUS, quasi scilicet præ avaritiâ, NOVELLIS hiscè græcè conditis, multum derogaverit reliquis illis voluminibus, qua mutando, qua abolendo, qua addendo.

VI. Manifestum interea ex his est, hoc seculo, antiquatis omnibus priorum seculorum legibus ac constitutionibus, per Principes Imperii Romani, novam planè Juris rationem enatam esse; quanquàm in occidente nullum ferè locum apte potuerit impetrare Jus illud JUSTINIANÆUM, occupatis nobilissimis Imperii Romani portionibus à Germanicis gentibus, quæ vatiniano odio omnia Romanorum Instituta prosequabantur.

VII. Constat porrò ex iis, quæ commemorata sunt, hoc seculo cumprimis floruisse TRIBONIANUM

**NUM**, quem ab eruditione quidem *σὺλλεγοί* commendant, avaritiæ tamen & immanis iniquitatis accusant, ut liquet ex PROCOPIO, HESYCHIO MILESIO, SVIDA, atque HARMENOPULO; Quanquàm etiam eruditionem in eo desiderent nonnulli ætatis nostræ principes Jcti.

IIIX. Denique, ex CODICE JUSTINIANEO patet, TRES hoc seculo SCHOLAS, auctoritate Cæsarea jussas esse, prudentiam hanc Romani Juris, publicè docere; ROMANAM scilicet, CONSTANTINOPOLITANAM, & BERYTENSEM. Sed, quæ fuit Italiæ infelicitas, non videtur Romæ id factum, nisi plurimis demum post seculis; Berytensem Scholam, hoc ipso seculo, terræ motu penè everfam, historiæ narrant; (V. AGATHIAS;) seculo certè sequenti omnis interiit, ut una remanserit Schola Constantinopolitana.

CAPUT. IV.

*De*

MEDICIS.

SEculum hoc, quantum ex AGATHIA possum conjicere, exornavit **ALEXANDER TRALLIANUS**, Medicus in primis nominandus; verisimile etiam fit, hûc pertinere **PALLADIUM** & **JOHANNEM**, Alexandrinos latrosophistas; neque enim quênquam græcum medicum alicujus famæ, post hoc

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

24.

hoc seculum, habuit, aut habere potuit Alexandria;  
Nec omninò multum hi duo ætate isthac possunt esse  
antiquiores.

CAPUT. V.

De  
PHILOGIS.

I. HISTORICI GRÆCI JUSTINIANI tempore floruerunt:  
**PROCOPIUS**, & **AGATHIAS**, *Scholasticus*  
seu *Advocatus*, rerum suæ ætatis civilium scriptores.

II. Eadem tempestate, libellum suum de *Philosophis*, perparvi licet momenti, **HESYCHIUS MILESIUS** conscripsit.

III. MAURITIO IMPERATORE, *Ecclesiasticam Historiam*, quem supra laudavi, **EVAGRIUS SCHOLASTICUS** composuit.

IV. Justiniani quoque ætate *Chronicon* suum conscripsit **MARCELLINUS COMES**; **VICTOR** autem **UTICENSIS**, Vandalicam Persecutionem memoriæ tradidit; paulò post **JORNANDES**, Gothus, primus sanguinis germanici Scriptor, Historiam Gentis suæ Gothicæ, brevemque libellum de regnorum successione, adornavit; quomodo eodem tempore, à **GREGORIO**, Turonensi Episcopo, Historia confecta est Francorum, qui jam tùm in Galliis longè latèque imperitabant.

V. GRA-

V. GRAMMATICVS quoque ille latinæ lingvæ nobilissimus, *PRISCIANVS*, JUSTINIANO Imperante Constantinopoli floruit.

SECVLI VII.

CAPVT UNICVM.

LITERARIAM TOTIVS SECVLI HISTORIAM  
*sistens.*

I. SEPTIMO SECVLO, non Occidentem tantum spissa occupavit barbaries, sed, iusto Dei Iudicio, Asia quoq; & Africa tantum non omnis, per impia *MUHAMMEDIS* dogmata nefariaque arma, simul cum Religione Christianâ, quicquid supererat melioris culturæ, amisit. Anno quippe XXII. *MUHAMMED* Arabs, Pseudo-propheta, dementatâ prius Saracenorum gente, victricia arma, cum nova Religione, quaqua-versum extendere coepit. Quo factum, ut LX. Annorum spatio, Asia penè omnis atque Africa, una cum Sicilia, in Saracenorum potestatem devenerit, sola Græciâ, & Asiâ minori, Orientalis Romanorum Imperii superstitionibus reliquis.

II. Ante tamen *MUHAMMEDIS* ætatem, initio seculi, Romæ *GREGORIUS*, Pontifex, à Virtute & Doctrina, pro illius ævi captu, *Magnus* nuncupatus; Hierosolymis autem, *HESTYCHIUS*, & post hunc; *SOPHRONIUS*, Episcopi, floruerunt.

III. Eo-

16.  
17.  
18.  
20.  
21.  
22.  
23.  
24.

III. Eodem tempore, vixerunt in Oriente, *JOHANNES MOSCHUS*, ac *LEONTIUS*, Homiliarum Scriptor uterque Græcus.

IV. *MUHAMMEDIS* ætate, Hispaniam exornavit *S. ISIDORUS HISPALENSIS*; Constantino-  
polin verò, *S. MAXIMUS*, Martyr & Monachus. Post medium hujus Seculi, in Hispania itidem vixit *HILDEFONSUS*, & circa Annum *XXC. JULIANUS*, uterque Episcopus Toletanus.

V. Omnes verò hi pauca scripserunt, quæque non, nisi inter opuscula *Bibliothecæ Patrum* solent numerari, præter *GREGORIUM M. & S. ISIDORUM*, quorum Scripta justæ magnitudinis volumen constituunt.

VI. Præter hos autem, neque *PHILOSOPHUM*, neque *ICTUM*, neque *MEDICUM*, neque *HISTORICUM* denique, aut *POETAM*, aut *ORATOREM*, qui alicujus sit momenti ac nominis, integro hoc seculo licet reperire.

---

## SECULI IIX.

CAPUT. I.

De

### SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

---

I. **E**Adem Infelicitas fuit *SECULI OCTAVI*, si non major, quod ad præcedentis seculi miseriam *HISPANIA* etiam accesserit, fractis per Saracenos Gothorum

rum

rum iis in locis viribus, atque in deplorandam servitutum redactis, nobilissimæ ejus terræ incolis penè omnibus. Certè, in occidente pene omnis eruditio inter sola Monachorum Claustra delituit, quorum tamen industria præprimis enituit in BRITANNIA, inter Anglos, (Saxonicæ originis gentem, qui ante seculum & quod excurrit, insulam istam occuparant;) hisq; conterminos. PICTOS, SCOTOS, ac HYBERNOS, adducente paulatim Deo. O. M. feras illas gentes Germanicas ad Christianismi cultum.

II. Initio igitur Seculi, vixit Romæ GREGORIUS, JUNIOR, ex Monacho Pontifex; in Scotia verò ALDHELMUS, cujus est libellus *de Virginitate*; In Anglia, VENERABILIS BEDA, Presbyter, Vir supra seculi sui captum doctus, qui non Theologica tantum, sed & Philosophica, ac Historica calluit, quiq; ideò tam multiplicis argumenti scripta nobis reliquit.

III. BEDÆ Discipulus fuit S. BONIFACIUS, primus Moguntinus, totiusque adeò Germaniæ Archiepiscopus, cui præ aliis Germania Christianam Religionem debet. Eundem etiam BEDAM audivit ALBINUS ALCUINUS, & ipse natione Anglus, CAROLI M. Præceptor, ac Scholæ Parisiensis Auctor.

V. BE.

V. BEDÆ æqualis & æmulus in Oriente fuit S. JOHANNES DAMASCENUS, quem ad tam insignem Eruditionem, qualis profectò in ipsius Scriptis elucet, illò tempore atque illò locò potuisse pervenire, non equidem possum satis mirari.

CAPUT II.

De

PHILOSOPHIS, JCTIS, MEDICIS, & PHILOLOGIS.

I. ANGLORUM HISTORIAM scripsit hoc Seculò ille, quem ante laudavi, Venerabilis BEDÆ, quò nomine meretur in HISTORICIS numerari; Mediò Seculò, & paulo post, DESIDERII, ultimi Longobardorum in Italiâ Regis, Secretarius fuit, & dein Aquilegensis Ecclesiæ Diaconus, PAULUS WARNEFRIDUS, & ipse natione Longobardus, cujus est *Historia*, quæ dicitur *Miscella*, & alia *de gestis Longobardorum*, VI. libris constans. Fuit & hic in Monasteriò educatus, ac sacris addictus, quod alibi nulla Eruditio compareret, imo præter Monachorum claustra, nulla esset alia Schola, quâ vel Alphabetum addiscere potuisses.

II. Aluit verò nec hoc Seculum, vel PHILOSOPHUM, vel JCTUM, vel MEDICUM quenquam Scriptorem. Ab ORATORIA LAUDE tantum omnes abfuere, ut vix prima rudimenta latinæ lingvæ calluerint.

ADDITAMENTA

declarando Auctoris Textui inservitura.

I.

Utrum JUSTINIANUS Imperator, gloriam nominis, tot in Ecclesiam & Rempublicam meritis partam, lapsu ad hæresin Aphthartodocetarum, ( humanum Christi corpus, passionibus humanis nec fuisse, nec potuisse obnoxium esse, statuentium; ) amiserit, lis Eruditos inter agitur. Baronius sane, Imperatori, jus circa sacra conveniens, sibi met vindicanti, ex more illorum, quibus *Dominus Deus Papa est;* ( juxta *Gl. ad c. cum inter. Extra. de verb. Sign.* ) infensissimus, audacter pro more suo: *Justinianus,* inquit, (*Annalium T. VII. ad A. 563. n. 1.*) *Imperator infelix in hæresin præcipitem se dedit. Hunc tandem consecuta est finem reprehensibilis Imperatoris curiositas, atque temeritas in miscendis sacris, summus velut Antistes esset. Qui igitur compositam, à Prædecessore Justino pacem invenit, fidemq; Catholicam stabilitam, undiq; compressis Hereticis, dum, que sunt Sacerdotum, sibi nimium arrogat, & Pontificum partes usurpat, pacem profligat, fidemq; in discrimen sæpe adducit, atq; tandem penitus labefactat. Ita plane Homini accidit, non, que sunt Cæsaris tantum, sibi sumenti, sed & que Dei, procaciter usurpanti. Nostrates rectius, quoniam Imperator in Edicto corpus Domini incorruptibile appellat, & naturalium atq; inculpabilium affectionum capax fuisse negat; ( referente Evagrio H. E. L. IV. C. 39. ) à nimio in hæresin affectu, Eundem haud absolvunt, approbant tamen censuram Nicephori, H. E. L. XVII. C. 29. hisce communicatam: *Plurimum opinioni ( Aphthartodocetarum ) in hæsit Imperator, non altius dogma tale investigans, sed Verbi ipsius significationi acrius insistens, videlicet, qui haud quaquam tale quiddam de Christo, propter summum ipsius erga illum amorem & desiderium audire constituerit. Princeps etenim iste tanto in Christum Pietatis ardore flagrasse ab*  
eis*

16.

17.

18.

20.

29.

22.

24.

*Additamenta, declarando Auctoris Textui inservitura.*

*eis, qui res illius memoria posteritatis mandarunt, dicitur, quanto alius, qui ante eum imperium obtinuerunt, nemo, ter-maximo illo Constantino semper excepto. V. Auctorem S. VI. C. 3. n. 1—5.*


II. De barbarie, Seculo VII. & IIX. orbem universum obruente, luculentus, utut inscius est testis; GREGORIUS M. DESIDERIUM. Gallix Episcopum, quod studia secularia suis commendasset, acriter reprehendens, *Epistolarum ex Registro L. IX. Indict. 4. Ep. 48. h. m. Cum multa nobis bona de vestris fuissent studiis nuntiata, cordi nostro nata est letitia; — Sed post hoc pervenit ad nos, quod sine verecundiâ memorare non possumus, fraternitatem tuam Grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita moleste suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea, quæ prius dicta fuerunt, in gemitum & tristitiam verteremus; quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt; Et, quam grave nefandumq; sit Episcopis canere, quod nec laico religioso conveniat, ipse considera! — Quanto execrabile est, hoc de Sacerdote enarrari, tanto, utrum ita nec ne sit, districtâ & veraci oportet satisfactione cognosci. Unde, si post hoc, evidenter ea, quæ ad nos perlata sunt, falsa esse claruerint, nec vos nugis & secularibus literis studere contigerit, Deo nostro gratias agimus, qui cor vestrum maculari blasphemis nefandorum laudibus non permisit. V. Auct. S. VII. & IIX.*

**COROLLARIA PNEUMATICA.**


- I. Nostro concipiendi modo, *Attributa Divina* commodissimè ordinantur, quando in *Non - Operativa* & *Operativa* dispescuntur.
- II. *Attributa Non-Operativa* dicuntur, quæ in conceptu suo operationem ad extra non involvunt & connotant, suntq;: *Infinitas, Simplicitas, Immensitas, Immutabilitas, Invisibilitas, Unitas, Veritas, Bonitas, Vita Æternitas.*
- III. *Attributa Operativa* salutantur, quæ in conceptu suo operationem ad extra involvunt & connotant, suntque: *Omnisapientia, Omniscientia, Omnipotentia, Justitia, Misericordia, Omnipresentia.*

S. D. G.









gra fit, neque illam quidem mulierem esse docen-  
 quis eam docuerit, non esse illud pro Tiphlutb  
 loco tria colliguntur; Primo communem eam  
 am Synagogæ totius, quæ videbatur in Mischna R.  
 nisse, ut ex superioribus constat, opinio, quod  
 cidius ex Maimon. patet, ap. quem, cum de ea-  
 ene verba legantur in Hilc. Talmud Tora c. I.  
 e mandato Sapientum universali (ציון חכמים)  
 t; Alterum, non qualemcunque legis a Magi-  
 elligi sed accuratiorem, quæque eruditionis no-  
 eat; Denique & hunc Mosén significationem  
 pejorem quidem partem acceptæ definire non  
 im, quanquam rationem interdicti redditurus ab-  
 discedere & ad fraudulentæ atque calliditatis no-  
 ccedere ac propendere videatur, de quo ex  
 ibus dispiciemus.

XIV.

, ubi ex more recepto in causas legum inquire  
 est controversia ventilari solet, hæc redditur  
 oratæ sententiæ asperioris ratio: Sota Bab. f. 21.

אר אבהו מאי טעמא דר אליעזר דכתיב  
 חכמה שכנתי ערמה כיון שנכנסה חכמה  
 hi. e. *Querit R. Abhhu, qua ratione subnixus*  
*nat?* (quæ de mulieribus in lege non instruendis  
 a potius dixerat,) *Resp. Verbis Prov. c. VIII. 12.*  
*at: Ego sapientia cohabito astutia, cujus loci*  
*vido sapientia in hominem ingreditur, simul eum*  
*astutiam.* Quibus subinducari videtur, Judæos  
 nentiamque latam Elieferis approbantes suam-  
 quicquid etiam alii l. c. de dicti Biblici allegati in-  
 nuditatem vel nescio quam simplicitatem detorti-

C 3

fen-

